

dissimus pater Gauzlinus toto animo indoluit. Interea habito VII episcoporum concilio in Drovensi<sup>1)</sup> castro, illuc cum suę largitionis tetendit scripto, causamque exponit in medio. Adscitis ergo quibusdam<sup>2)</sup> nobilium ad suę partis auxilium, convicit malignos, expoliat loco, casaeque Floriacensi et sancto restaurat.

7. Pari modo sancti Martini aecclēsiā in castro sancti Saturi<sup>3)</sup>, at in area nostrę portionis locatam, a quodam clericalis professionis recepit viro, nomine Willaleo, conscriptioneque precaria ab eo impetrata, quondam ab antecessoribus eius tradita, nostro conservandam deposuit in armario. Verumtamen veritus, ne ab aliquo eius aliquando repeteretur parentum, unum ipsius nepotum, nomine Hylarium, cum consensu omnium, nostrum effecit monachum, qui usque hodie bonorum morum probitate et altioris sapientię prepollet lumine.

Mantrangię quoque alodi medietatem villę quingentorum aquisivit distributione solidorum a quodam clerico, nomine Giraldo, agnomine Grataldo.

8. In pago preterea Aquitanico, quidam haud contemptibiles proprietatis suę res, mansum Fraxinida scilicet, Floriacensi reliquerat congregationi. Huic donationi Hildebertus, suę progeniei unus, vehementer restitit, donativumque parentis suis mancipando usibus irritum fecit. Cui bonę memorię Gauzlinus, eius male spei obviis, C solidis equoque eiusdem pretii conlatis, terram nostrę subdidit voluntati. Enimvero nec silentio tegendum, qua comprobatione divina pietas huius beati viri divum in hoc propalaverit meritum. Ergo nec multo post, idem Hildebertus, super eundem residens equum, a multis suorum infestatur inimicorum; iamiamque manu capiendus, utpote animalis securitate divina virtute privatus, haec, insistentium terrore perculsus, secum revolvisse fertur: 'merito' inquit, 'tui non opitulor solatio, quem iniuste sancto defraudasse Benedicto manifesto contemplor inditio. Attamen si hinc me eruerit, quod eum posse nulli dubium sit, polliceor te redditum iri<sup>4)</sup>, quin etiam digna satisfactione placari, quem scienter scandalizasse vera recognosco confessione'. Nec mora, equus arrepto cursu miserum eruit, qui quod promiserat fideliter adimplevit.

9. De cetero, Ivo Belesmensis, inter ceteras suarum erogationes possessionum, quas plurimis conscripserat sanctorum ob suarum ablutionem culparum, huius dilecti Dei haudquam inmemor extitit, Magniacum<sup>5)</sup> cedendo illi. Quo tamen defuncto, Willelmus, eius filius, iuvenilis animi cupiditate

1) Drevant dép. Cher, c. Saint-Amand, so Delisle, der Droventi liest.

2) Hs.: quibusquam. 3) Saint-Satur dép. Cher, c. Sancerre (Delisle).

4) So verbessert der Corrector aus: me redditurum. 5) Magni-le-Désert dép. l'Orne, c. la Ferté-Macé (Delisle).